

## P R A E F A T I O.

*Cum, divenditis Etymologici Lennepiani exemplaribus, nova ejusdem libri editione opus esset: rogavit me Vir honestissimus, Paddenburgius, penes quem operis edendi jus esset, ut novae editionis, quam adornare in animo haberet, curam susciperem, et, si quid haberem animadversionis, adjicerem. Cujus voluntati morem gesturus, cum animadversiones meas Scheidianis subjicere constituissem; id quidem consilium, quamvis invitus, omittere coactus sum. Nam et ipsius operis major, quam initio cogitarem, difficultas, erat; et Paddenburgius, qui librum quam primum edere cuperet, expectare, donec finem labori imposuisssem, nolebat; et ipse variis, quas commemorare nihil attinet, rebus impeditus et retardatus, minus temporis, quam vellem, ei curae impendere poteram. Optimum igitur visum est, ipsum Etymologicum prius solum edere, deinde observationes, ubi paratae essent, quam primum separatim in lucem emittere. Hoc consilium, absolutis jam prolegomenis Scheidianis, demum natum est: quibus cum meae animadversiones, ut in toto opere facere constitueram, additae jam essent; tametsi eas cum reliquis in separatum li-*

*brum inclusas edere maluissim: non tamen necessarium duxi, earum omittendarum causa prolegomena iterum imprimi.*

*Ceterum observationes in ipsum Etymologicum Lennepianum ut quam primum absolvantur, operam dabo; omne tempus, quod mihi a muneris cura vacat, his conscribendis impendens. Itaque lectiorem benevolum rogatum volo, ut has qualescunque animalversiones in Prolegomena tantisper aequi bonique faciat, nec prius iudicium de iis faciat, quam observationum libellum, cum praefatione, eidem praemittenda, legerit. Nam, quod hic paucis dictum est, id illic pluribus erit demonstrandum.*

